



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Lazarus Conf. 17. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. LAZARUS CONF. 17. Decembris.

Ille LAZARUS est, quo fratre germano nobiles
 & sorores Martha & Magdalis gaudebant, Chri-
 sto dilectus, & ab hoc amici etiam nomine do-
 natus. Plus dico. Ille est, qui mortuus lacrimas
 Deo & gemitus potuit excutere, eoque adigere
 amantem, ut contra ferreas mortis leges sepul-
 tum jam & tabescentem vitæ, &, quod caput est,
 amicitia suæ redderet; quæ unica puto causa fuit,
 cur è sinu Abrahæ non invitus rediret LAZARUS.
 Ceterum sic vivus invidia tantum non emori Ju-
 dæos fecit, nimis contra improbos magnus cer-
 tusque Servatori testis. Itaque alteras illi mortis
 insidias struxerunt, stultissimo consilio, cum fatis
 jura dicere Christum viderent notum jam nuper
 LAZARI patrum. Hoc tamen in cælos, & Apo-
 stolis in divisum à se orbem abeuntibus, revixere
 odia in LAZARVM nobilemque familiam. Itaque
 cum Maximino (è scholâ Christi & LXXII. disci-
 pulis fuit) Marthaque & Magdalenâ sororibus,
 virgine item Marcellâ, exul in navim compingi-
 tur, velis remisque sed non cælesti etiam aurâ
 destitutam. Nam LAZARVM sociosque in Gallias
 tulit, & innoxios Massiliæ exposuit. Miraculo &
 hæc & aliæ vicinæ urbes permultæ Christo cre-
 diderunt. Tum demum amoribus suis in silvis
 Magdalena vacavit, Martha sanctis virginibus,
 LAZARUS civibus Antistites præfuerunt. Du-
 bium ergo est LAZARUS ne invenerit illic por-
 tum, an ostenderit Gallis? certè absque LAZARO
 fuisset, naufragium in portu Massilienses fecis-
 sent. *Ex histor. Euang. & Brev. Rom.*

Iusti mors ut presentis est exitus vita, ita introitus

614 VITÆ SANCTORVM. 18. Dec.
*melioris. Bona mors, si peccato moriaris, ut iustitia vi-
vas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa
secura. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post
mortem carnis Deo vivere incipias. S. Bern. ep. 105.*

S. MODESTUS EPISC. 18. Decembris.

Nobiliores nemo MODESTO habuit cunas.
Rogas quales? carceres fuere, in quos ad
captivum patrem vix natum mater asportavit,
docuitque à teneris Martyrē esse. Quinto à partu
mense inter preces uterque parens inibi animam
Deo reddidit, opulentam filio hereditatem vin-
cula post se relinquens. At hanc invidens Maxi-
mianus Imp. educendum viro Senatorii ordinis
tradidit. Sperabat hic patris nomen; sed cum pri-
mum MODESTVS per ætatem intelligere cunabu-
la sua potuit, doluit scilicet vel inscium se à pa-
rentum vestigiis deflexisse: & degenerem tam
diu se putavit, quousque fugà Athenas delatus
Christianis se junxit. Hic dum sacro lustratur
fonte, radiantem ignibus columnam in caput
pueri descendere Episcopus vidit. Cum deinde è
cive genium malum, è sorore verò heri sui mor-
bum depulisset, heredem hic MODESTVM cum
ceteris liberis suis scripsit. At isti, quò potius ac-
cederet aliquid ad hereditatem, quam decederet,
Ægyptio homini & à sacris nostris alieno ado-
lescentem vendiderunt. Septem annos cum ser-
visset, è servitute Deorum tandem etiam domi-
num eripuit, & libertus Solymas abiit. Ibi de-
mum ad Patriarchatus dignitatem evectus, cum
veneno infectum fontem purgasset, fontisque in-
colam serpentem neci, cacodæmonem sub cane
latrantem fugæ dedisset, hospitioque, qui in ser-
vitutem